

Pergamena 14

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 14

24-04-1366

+ In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno a Nativitate Eius millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, regnante serenissima domina nostra domina Iohanna, Dei gratia inclita Ierusalem et Sicilie regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum suorum anno vicesimo quarto feliciter amen. Mense aprilis, die vicesimo quarto eiusdem quarte indictionis apud Picernum. Nos Iohannoctus Ferrarius de Potentia, ipsius terre annalis iudex, Thomasius Principatus de Sasso, puplicus per provincias Principatus Citra, Serras Montorii et Basilicate regia auctoritate notarius et subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico notum facimus et testamur quod, in nostri presentia constituti, discreti viri dompnus Macza de Ebreo de Picerno, ipsius terre archipresbiter, dompnus Thomasius de Ioha, dompnus Stornus de Basilio, dompnus Iohannes de Raynaldo, dopnus Petrus Tronus, dopnus Petrus de Bartholemia, dompnus Andreas de Gibello, dompnus Andreas Massarius dompnus Guillelmus Ferrarius, dompnus Anthonius Marchucii de Roto, dopnus Iacobus de Venetia, dopnus Nicolaus de Maynerio et dopnus Coragnus Luce de Roto nec non diaconus Robertus Dominici Mussis, subdiaconus Iohannucius Manfridi de Ebreo, subdiaconus Petrellus Angeli Maynorii de Picerno. Consentientes prius in nos predictos iudicem et notarium ut in suos cum scirent ex certa eorum scientia se nostre iurisdictioni non esse subiectos, asseruerunt coram nobis se habere tenere et possidere in civitate Potentie casalinum unum suis finibus limitatum, relilctum et legatum eisdem presbiteris olim per Nicolaum Galterium de Picerno, habitatorem Potentie, ut dixerunt. Quiquidem

archipresbiter et omnes alii presbiteri cum eo superius nominati, sicut ipsis congruum et utile visum fuit, eorum gratuita libera et spontanea voluntate, vendiderunt coram nobis, alienaverunt et per fustis traditionem assignaverunt iure proprio in perpetuum Goffrido de Picerno, habitatori Potentie ibidem presenti, recipienti et ementi pro se et suis heredibus casalinum predictum, situm in predicta civitate Potentie, in parrochia Sancti Michaelis. Cuius casalini dicti clerici hos dixerunt esse confines: ab una parte domum dicti Goffridi emptoris, ab alia parte domum ecclesie sancti Laurentii de Padula mediante quintana pluviali, ab alia parte domum Thomasie Pancie cum muro communi, ab alia parte viam seu quintanam vicinalem et si qui alii sunt confines; francum et liberum ab omni onere servitutis, ad habendum tenendum possidendum vendendum donandum permutandum nec non quocumque modo voluerint ipse emptor et sui heredes alienandum, cum viis suis in ipsum casalinum intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis. Pro qua quidem venditione prefati venditores coram nobis confexi et contenti fuerunt se recepissee et manualiter habuisse a dicta Goffrido emptore nomine pretii in carolenis argenti duobus pro tareno quolibet computatis, tarenos octo ponderis generalis, totum silicet pretium venditionis ipsius. Promictentes dicti venditores per se et successores eorum dicto emptori pro se et suis heredibus stipulanti, litem vel controversiam de dicta casalino ullo umquam tempore non inferre nec inferenti consentire; sed casalinum ipsum eidem emptori et suis heredibus tam in proprietate quam in possessione ab omni homine et persona quacumque defendere guarentire et disbrigare a dicta venditione et omnia alia et singula supradicta

et infrascripta franca et rata habere, perpetuo et tenere et nunquam contrafacere vel venire per se vel eorum heredes et successores, sub pena dupli pretii supradicti, medietate ipsius pene curie domini episcopi potentini vel alteri curie competenti et altera medietate prefato emptori vel suis heredibus persolvenda, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dicta emptori pro se et suis heredibus a dictis venditoribus sollempniter stipulantibus penam ipsam. Qua saluta vel non saluta seu gratiose remissa predicta et subscripta omnia et singula in suo nichilominus robore perseverent, et renuntiaverunt super hiis dicti venditores, pro cautela dicti emptoris, exceptioni doli mali vis metus et in factum exceptioni deceptionis et fraudis, reique predicto modo non geste, exceptioni dicteque non numerate pecunie, non salute, non habite et non recepte ac non boni seu electi argenti. Legi resissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, beneficio fori et privilegiis quibuscumque et omnibus aliis auxilliis et beneficiis omnium iurium atque legum, tam canonici quam civilis et Longobardorum et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quam dicta iuri renuntiari non possit, quibus vel ipsorum aliquo suffragantibus dicta posset venditio et confessio seu scripti huius tenoris in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus et singulis actendendis et inviolabiliter observandis, dicti venditores eidem emptori coram nobis corporale prestiterunt ad sancta dei evangelia iuramentum. Et voluerunt dicti venditores quod si in presenti instrumento aliqua iure sollempnitas deficeret tacite et expresse intelligatur in eo et refici possit et emendari ad consilium sapientis totiens quotiens opus erit, veritatis tamen substantia non mutata. Unde

ad futuram memoriam dictorum venditorum partes et prefati Goffridi emptoris et heredum suorum cautelam factum est exinde presens puplicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrum subscriptorum testium subsignationibus roboratum. Quod scripsi ego predictum Thommasius puplicus dictarum provinciarum notarius, qui predictis omnibus rogatus interfui et meo solito signo signavi.

+ Signum crucis proprie manus Iohannoctus Ferrarii qui supra iudicis scribere nescientis. + Signum crucis proprie manus Cristaini de Adelayta qui teste interfuit, scrib[ere nescientis]. + Signum crucis proprie manus Tole de Palermo qui teste rogatus interfuit, [scribere nescientis]. + Signum crucis proprie manus Bartholomei Sagesii qui teste interfuit, [scribere nescientis]. + Signum crucis proprie manus Guillelmi Fecze qui teste interfuit scrib[ere nescientis]. + Signum crucis proprie manus Dominici Falaxano, qui predictis interfuit scri[bere nescientis]. + Signum crucis proprie manus Bartholomei Becze qui teste interfuit, [scribere nescientis].